

fructum decimabilem redacte colliguntur. c. 21. de Verb. signif. & Interp. de Decim.

42 Consultus est Innocentius III. : Cum in quibusdam Parochiis ad quasdam Ecclesias, vel personas ecclesiasticas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in eisdem ad quas hujusmodi novalium decima incipiat pertinere? Rescripsit Pontifex: *Decimæ novalium, quæ, fiunt in Parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur.* Refert. c. 29. de Decim.

43 Hoc exemplo decidit Alexander IV. : *Nec pro eo, quod forte in aliquibus Parochiis omnes majores decimas, seu partem illarum acquirunt de manibus laicorum, possunt pro eadem, vel simili portione, si de novo postmodum fiunt novalia, in eisdem petere, vel percipere novalium decimas eorundem, nisi alia rationabilis, per quam hoc facere valeant, causa subsit.* Refert. c. 2. §. 6. ibi in 6.

44 Harum causarum rationabilium prima est illarum, qui vel per privilegium, vel per prescriptionem jus decimandi titulo incorporationis, seu appropriationis ipsius Ecclesiæ Parochialis obtinent, quippe eo titulo ipsam Ecclesiam Parochialem, veluti Parochi primitivi possident, licet curam per Vicarium exerceant, cui congrua portio præstanda est.

45 Reliqui Decimatores nullum jus habent ad novales decimas, quia eæ reservantur Parocho, aut Vicario perpetuo. Nonnullibi usus habet, quod Parochis, vel Vicariis perpetuis novalium ususfructus per quinque, septemque annos à tempore, quo terra novalis coli cœpit, relinquatur. Si integra Vicarii competentia consistit in pecunia, Vicarius omni juri decimandi renuntiasset censetur.

46 Si aliquando quibusdam expressum privilegium datum est, etiam novales decimas percipiendi, illud genus indulti eo moderamine explicat Alexander IV., ut non intelligatur de novalibus, quas tempore impetrationis possederunt alii; & restringatur ad ea loca, ubi veteres tunc, quando privilegium novalium impetratum fuit, ipsi impetratores habebant, & pro ea solummodo portione suffragetur, quia ipsi tempore impetrationis hujusmodi percipiebant antiquas. Inde subdit Papa, indultum de recipiendis novalibus obtentam ab iis, qui tempore impetrationis totaliter veteres decimas percipiebant, ultra medietatem novalium non extendi. c. 2. §. 1. de Decim. in 6.

47 Henricus III. Dus Brabantia (a) per testamentum res-

(a) Brunnem. J. E. l. 2. c. 7.

tituit decimas novalium generaliter per totam Brabantia terram Ecclesiis, & ecclesiasticis personis, ad quas pleno jure pertinent.

48 Meminit Innocentius III. & minutarum decimarum, eo argumento, ut eas juri Parochiali vindicet, tametsi alii jus majores decimas percipiendi per privilegium, præscriptionem, vel alium juris titulum possideant. c. 30. de Decim.

49 Jure communi ad decimarum solutionem tenentur omnes c. 3. 4. 5. de Decimis, præsertim laici, qui à Parochis, & Clericis spiritualia accipere debent. Unde & jure quasi naturali decimas pro Sacerdotum sustentatione dare tenentur. Refert Broudæus ad Lovetium (a) non semel judicatum esse, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tametsi à tempore immemoriali non solvissent, si non ostendant, decimas istius terræ titulo infeudationis sibi competere. Narrat dein, judicatum fuisse ann. 1633. contra cujusdam loci Toparcham, ipsum obligari ad solutionem decimarum ex quibusdam fundis, licet probata esset possessio immemorialis non solutionis decimarum per elocationes continuo factas à centum & quinquaginta annis, aliaque acta in lite exhibita. Quinimo Toparchæ, prætendentes titulo suæ Toparchiæ exemptionem à decimis solvendis è suis fundis dominicalibus, non semel repulsi sunt, non obstante possessione non solvendi, dum judicatum est, eos non eximi, nisi speciali privilegio suam exemptionem probaverint. Attento quoque jure, communi etiam Principes, & Reges è suis terris decimas debere solvere unanimi consensu tradunt Canonistæ, prætendunt tamen nonnulli Principes immunitatem ob immemoriam præscriptionem &c. Veteri jure & Monachi, tametsi victitarent ex labore manum, ad decimas reddendas adstricti fuerunt. c. 6. XVI. q. 1.

50 Superest sub nomine Paschalis II. Decretalis, quæ Monachos, & Clericos in communi viventes ab exactionibus decimarum de laboribus, seu nutrimentis suis propriis eximit. c. 47. ibi.

51 Spectabant ergo, ut apparet, hæ exemptiones decimas minutas. Unde & Concilium Lateranense id genus exemptionis & leprosis in communi viventibus indulsit, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. c. 2. de Eccles. Aedif.

52 Rescripsit Hadrianus IV. monendos & urgendos Monachos esse, ut decimas de terris cultis, in quibus olim domus constructæ fuerant, Ecclesiæ ea integritate persolvant, qua,

(a) Broud. ad Lovet. lit. D. n. 9.

qua, priusquam in eadem Parochia morarentur, solebant veluti majores persolvi. c. 4. de Decim.

53 Juxta Alexandrum III. Pontifices aliquando fere omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserant: sed Hadrianus IV. solis fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, indulxit: cæteris vero permisit, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant. c. 10. ibi.

54 Reliquis juris novi exemplis & Cisterciensium privilegium restringere placuit, quod auctis Monasteriis Cisterciensibus sibi attraherent prædia, & possessiones, è quibus antea decima solvi solebat. Consuluit Alexander III. Monachis, ut desuper cum ipsis, qui decimas prætendebant, componerent. c. 9. de Decim.

55 Alibi repressit Pontifex Monachos, qui exemptionem suam porrigebant & ad illas terras, quas alii excolendas elocabant, ut nec ipsi, nec conductores decimas solvere tenerentur. c. 11. in integr. lect. ibi.

56 Hoc exemplo mandat Alexander III., ut & Cistercienses de illis possessionibus, quas conducunt, aut ad firmam accipiunt, decimas, si ex iis antehac decimæ præstari solebant, reddant. c. 8. de Decim.

57 Denique vetantur Cistercienses de novo possessiones, ex quibus decimæ solvi solebant, acquirere, nisi pro novis Monasteriis erigendis; & tunc eas vel aliis elocare, ut decimæ præstentur, aut ipsi, si propriis manibus, & sumptibus excolunt, decimas reddere tenentur. c. 34. ibi.

58 In Gallia tamen ann. 1620. tum Cistercienses, tum alii religiosi Ordines patentes literas Ludovici XIII. obtinuisse dicuntur, quibus immunitas à decimis è possessionibus, quæ sunt de fundatione, dotatione, & dominio illarum Abbatiarum, tam pro illis, quas propriis manibus excolunt, quam & istis, quas suis colonis excolendas relinquunt, conceditur.

59 Quodcunque autem sit in eo genere Regulatum privilegium, id non nisi personale est, ut ad alium possessorem haud transire possit, quia neque possessionibus, nec rebus inhærere censetur. Sic alicubi ann. 1602. Parocho adjudicata fuerant decimæ è terris, quas quidam laicus à Cisterciensibus emerat.

Cap. 8.
De mod.
solv. dec.

60 Decima vi nominis decimam partem exprimit, ipsoque jure ad ea partem taxatur, tametsi consuetudo ad partem

tem vel undecimam, vel duodecimam, vel vigesimam, & trigesimam reducerit. Quippe non obstante hac, vel alia diminutione decima appellatur, quia vel illæ partes in locum decimæ successerunt, vel quia ad decimam partem quondam sacrum illud tributum institutum, exactumque fuit. c. 11. de Decim. Inde ad sensum Canonum, & mentem Concilii Tridentini (a) integram decimam persolvere censetur, qui præscriptam moribus quotam reddit.

61 Præcipit Concilium Tridentinum integras decimas, ut pote secundum quotam consuetudine definitam, reddi. Et quidem in fructibus prædialibus nullus locus est deducendis expensis vel culturæ, vel seminis, vel mercedis, & operarum. c. 7. 22. & 26. de Decim. Sæpe tamen usus habet, quod novallium decimæ, si majoribus expensis, & laboribus opus fuerit, aliquot annis vel in totum, vel in tantum pro indemnitate quadam; & reparatione expensarum remittantur. Aut si è re sit Reipublicæ, Decimatores auctoritate publica ad collationem expensarum vocentur.

62 In fructibus autem industrialibus, seu decimis personarum primus locus est deductioni expensarum, quia ex lucro debentur, quod non intelligitur, nisi prius deducantur sumptus. c. 28. de Decim.

63 Decimæ solvendæ sunt in specie (b), non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, aut & conventionibus solvendi vice decimarum certam quantitatem granorum, aut pecuniarum, nisi hæ transactiones solemnitatibus, quæ ad alienationem requiruntur, stipatæ fuerint.

64 In Germania tum à Catholicis, tum à Protestantibus decimæ ex ipsis fructibus debentur, nec eorum loco offerri potest æstimatio, nisi per conventionem aliud placuerit. Inde duplex nascitur decimarum species; una, quæ in natura præstatur ex fructibus: altera, cujus loco quotannis certa æstimatio præstatur. Ait Boehmerus (c): *Quamvis per diuturnum tempus hæc fuerit soluta, attamen prior species, quæ regularis, & ordinaria est, nunquam amittitur: revera conventio conductionem continet; qua possessoribus agrorum locantur decimæ pro certa pensione annua: sed istud negotium præscriptionem non admittit, nec impedit, quominus fieri possit anti-quatio locationis factæ.*

65 Reliquæ leges vetant, fructus naturales avehi, aut tolli, antequam idonee denuntiatum sit Decimatoribus, eorumque

(a) Trid. sess. 25. c. 12. (b) Hericourt, de LL. Eccl. p. 2. p. 186.
(c) Boehmer. J. E. l. 3. tit. 30. p. 150.

que Commissariis in loco existentibus, fructus esse avectioni paratos, ipsisque tempus, & locum designaverint, quibus compareant, ut videant, & numerent manipulos; qui si statuto tempore non adsint, permittitur Colonis, vel Villicis fructus suos tollere è fundo, modo ibi relinquunt manipulum, vel acervum pro decimis debitum.

66. Ex foetu pecorum reddenda est decima, quando recens nata animalia non amplius egent lacte, aut sinu materno. Quoad decimas agnorum alicubi usus habet, quod hebdomada ante Pascha Decimatores numerare, & signare, ut abhinc suo periculo sint, teneantur; quo tempore elapso relinquuntur ipsis proprietariis, decimas numerare, & signare periculo Decimatorum, ut si posthac perierint, eis signata velle reddantur: si vero agnorum decimæ post dictam hebdomadam colligerentur, tenebuntur Decimatores stipendium ratione custodia earum agnellorum persolvere.

67. In Occidente inde à sæculo VI. cœperant exactiones decimarum per censuras ecclesiasticas. Legitur in Capitularibus edictum Regium (a). *Qui decimas pro crebris admonitionibus, & prædicationibus Sacerdotum dare neglexerint excommunicentur.*

68. Jure novo frequens est harum censurarum exemplum. Inter ea exempla mandat Alexander III. Archiepiscopo Cantuariensi, ut Parochianos, si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellat, ad integras decimas Ecclesiis reddendas de proventibus molendinorum, piscinarum, fæno, & lana. c. 3. 15. & 21. *passimque de Decim.*

69. Præcipit Concilium Tridentinum (b) diserte, ut omnes, cujuscunque gradus, si conditione sint, ad quos decimarum solutio spectat, eas, ad quas jure tenentur, imposterum Cathedrali, aut quibuscunque Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. *Qui vero aut eas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur.*

70. Sic & alibi S. Synodus (c) anathemate coercendos pronuntiat laicos usurpatores, detentores, violatores rerum, juriumque ecclesiasticorum, vel piorum locorum, aut foundationum. Et si Patroni desuper rei tenentur jure Patronatus priventur.

71. Hodie tamen passim invaluit, quod hæc censura pro exactione, aut vindicatione decimarum ab usu recesserit, quia executio aliis viis haberi potest. Enimvero & Concilium Tri-

(a) Capitul. lib. 2. c. 38. (b) Trid. sess. 25. c. 12.
(c) Sess. 22. c. 11.

dentinum (a) præcipit, à censura esse abstinendum in civilibus causis, si executio realis, personalisque aliter haberi queat.

72. Jure Decretalium causa decimarum ecclesiastica censetur, ut absolute tribunali ecclesiastico vindicetur. Sed postquam divisio possessorii à petitorio innotuit, in diversis Provinciis receptum est, quod causa decimarum in possessorio per regia tribunalia ita exhauriatur, ut petitorio fere nihil relinquatur, quia nemo jus decimarum Ecclesiæ negat. Quippe, cum decimæ rerum temporalium, ex ea destinatione in usum pium, & ecclesiasticum, naturam haud exuisse videantur, merito præteritis juris novi prætensionibus, crediderunt Principes, decimas suæ jurisdictioni quoad exactionem, & solutionem, esse subjectas.

73. In exactione, vel petitione tum civili, tum ecclesiastica denique meminisse oportet, decimas non deberi, nisi de fructibus excretis, quia decima non est opus fundorum, sed fructuum. Hinc nullis fructibus excrementibus vel quia proprietarius fundum colere neglexit, vel quia fundum in aliam speciem culturæ, ex qua decima solvi non solet, pro libitu suo redegit, nullæ decimæ defectu frugum decimabilium prætendi queunt.

74. Inter regulas in hac decimarum materia in Gallia receptas est, quod decimæ non obstringantur æris alieni reliquiis. Quippe decimæ, si uno alterove anno non exigantur, aut non solvantur, pro eo tempore remissæ censentur, ut pro præteritis annis peti non possint.

75. Hodie decimæ ab oblationibus reliquis distinguuntur. Solent enim simplices vocari oblationes, quæ à fidelibus vel ad altare, vel extra altare, utro, & voluntarie citra ullam in qualitate, aut specie determinationem, Deo, vel Ecclesiæ dantur, per modum simplicis donationis.

76. Jure communi oblationes æque, ac alii proventus ecclesiastici Ecclesiæ Parochialis sunt, tametsi fiant ad imaginem extra ædes Parochialis Ecclesiæ, aut fiant Sacerdoti celebranti in sacello intra limites Parochiæ, aut anno Jubilæo.

77. Inde hæc oblationes inter proventus Parochiales recensentur: Ait Innocentius III. *cum auctoritate Dionysii fuerunt Parochia limitatæ, quatenus singularum Parochiarum proventus in usus Ecclesiæ cederent necessarios & stipendia ministrorum.* Refert. c. 9. *de his, quæ fiunt à Prælat.*

Cap. 10.
De Oblat.

Ec-

(a) Trid. sess. 25. c. 3.

78 Ecce piæ oblationes censentur dari ad justam sustentationem Ministrorum, qui curam spiritualem offerentis populi sustinent. Hinc in Cathedrali Ecclesia potius Archipresbytero, quam Episcopo, Vicario perpetuo potius in aliis Parochialibus Ecclesiis, quam primitivo Pastori vindicantur.

79 Si constet tamen de alia intentione offerentium, cessat jus commune Parochiale. Hac occasione passim consuetudo invaluit, quod oblationes, quæ colliguntur per Magistros fabricæ, vel quæ offerunt in truncis expositis Sacelli; vel quæ fiunt ad imagines, & Reliquias Sanctorum, particulari illi usui destinatæ censeantur. Statuit ann. 1639. Synodus Namurcensis (a): *Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Parochialibus, & capellis in eisdem constructis, ad eos pertineant, qui hactenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt. Et ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes, quæ fiunt ad majus altare, & ad altaria dictarum Capellarum, non habentium Mamburnum particularem; si quæ vero dictarum capellarum Mamburnum habent, oblationes soli capellæ cedant; quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraternitatum oblationes.*

80 Hac occasione sat vulgare est, quod illarum piarum eleemosynarum collectio, dispensatio, & administratio aliis etiam laicis economiæ gratia, præterito Parocho, committatur. Præcipit tamen Synodus Namurcensis (b), ut reddatur computus omnium Collectarum, etiam Confraternitatum, & quocunque alio titulo, vel nomine fiunt per Mamburnos in Ecclesia præsentis Parocho, & Magistratu loci.

* 81 In morali doctrina quid pro coronide totius hujus argumenti elegantius facit, quam Clero ad justum usum decimarum, & oblationum regulas, & exempla frugalis vitæ commendare? Refert Palladius de Sancto Chrysostomo (c): *Frugi erat nimium, deliciarumque omnino adversarius, sacrilegium existimans, si quid in ejusmodi impenderetur. — Suspiciens autem & mensæ tumultus, & impensarum magnitudinem, exhorruit rem. De S. Augustino narrat Possidius (d): Mensa usus est frugali, & parca, quæ quidem præter olera, & legumina, etiam carnes aliquando, propter hospites, vel etiam infirmiores quosque continebat; cochlearibus tantum argenteis utens: cætera vasa, quibus mensæ ferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant. Quid æquius rationibus S. Hieronymi? (e) Si in Apostolorum, relinquorumque SS. Sa-*

(a) Synod. Namurc. tit. 17. (b) Ibid. (c) Pallad. in vit. S. Chrys. c. 1. (d) Possid. in vit. S. Aug. c. 2. (e) S. Hier. Michæ. c. 20.

cerdotum numero sumus, non solum sermonem imitemur, sed conversationem quoque & abstinenciam amplectamur: sanctum utique & Apostolicum ministerium est, de decimis, oblationibus, in quantum frugalem vitam superat, viduis, & pauperibus ministrare. Inquit Concilium Parisiense VI. (a) *Quam moderata autem discretio frugalis vitæ in vestium cultu, & mensæ apparatu Sacerdotibus tuenda sit, dicta B. Gregorii in expositione Evangeliorum, & vita sanctorum virorum Augustini, & Ambrosii plenissime docent,*

TIT. XVII.

De Portione Congrua Pastorum.

CAP. I.

De Origine Parochorum Primitivorum, & Vicariorum Perpetuorum.

1 Discertis decimis successit & divisio tituli Parochialis, qua sæpe Pastoribus, qui curam animarum substinebant, fere nihil, aut satis exiguum ex proventibus ecclesiasticis ad frugalem vitæ sustentationem relinquebatur. Sic enim inter illa sæcula, quibus aliquando laici decimas, & Ecclesiarum possessiones invadebant, emersit quædam distinctio inter Ecclesiam, & altare: ut nomine Ecclesiæ temporalia, quæ laici sibi arrogarunt, significarentur, quia Altaris nomen Sacramentorum administrationem, reliquas sacerdotales functiones complecti censebatur. Hac occasione scripsit S. Abbo Abbas Floriacensis ad Reges Galliæ: *Certe charissimi Principes nec catholice vivimus, nec catholice loquimur. — Est etiam alius error gravissimus, quo fertur Altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cujuslibet Domini &c.*

2 Exemplum laicorum & suum facere Monasteria, & Capitula, quæ decimas, & Ecclesias è laicorum manibus receperunt. Inde invaluit, quod Monachi, & Canonici sæpe Episcopo census in mutatione eorum Presbyterorum, qui auctoritate Episcopi curæ præficiendi erant, in signum recognitionis stipularentur, vel offerrent. Placuit hunc usum redemptionem Altarium dicere, cujus meminit Urbanus II. in Decreto Gratiani cap. 4. I. quest. 3.

3 Successu temporis Capitula, & Monasteria ex illa unione Ep. Van-Espen T. II. Dd ne

(a) Conc. Paris. VI. c. 19.